

Die 26 iunii

**S. IOSEPHMARIÆ ESCRIVÁ DE BALAGUER,
PRESBYTERI**

LECTIO PRIMA

Posuit Dominus hominem in paradiso, ut operaretur.

Léctio libri Génesis

2, 4 b-9. 15

In die quo fecit Dóminus Deus terram et cælum –omne virgúltum agri, ántequam orirétur in terra, omnísque herba regiónis, priúsqvam germináret; non enim plúerat Dóminus Deus super terram, et homo non erat, qui operarétur humum, sed fons ascendébat e terra írrigans univérsam superfíciam terræ– tunc formávit Dóminus Deus hómínem púlverem de humo et inspirávit in nares eius spiráculum vitæ, et factus est homo in ánimam vivéntem.

Et plantávit Dóminus Deus paradísium in Eden ad oriéntem, in quo pósuit hómínem, quem formáverat. Produxítque Dóminus Deus de humo omne lignum pulchrum visu et ad vescéndum suáve, lignum étiam vitæ in médio paradísi lignúmque sciéntiæ boni et mali.

Tulit ergo Dóminus Deus hómínem et pósuit eum in paradíso Eden, ut operarétur et custodíret illum.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 2, 7-12 (R.: Ps 117, 1)

R. Laudáte Dóminum omnes gentes.

⁷ Prædicábo decretum eius.

Dóminus dixit ad me: « Fílius meus es tu; ego hódie génui te ». **R.**

- ⁸ « Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam
et possessiónem tuam términos terræ.
- ⁹ Reges eos in virga férrea
et tamquam vas fíguli confrínges eos ». *℞.*
- ¹⁰ Et nunc, reges, intelligíte;
erudímini, qui iudicátis terram.
- ¹¹ Servíte Dómino in timóre
et exsultáte ei cum tremóre. *℞.*
- ¹² Apprehéndite disciplínam, ne quando irascátur,
et pereátis de via,
cum exárserit in brevi ira eius.
Beáti omnes, qui confídunt in eo. *℞.*

LECTIO SECUNDA

*Spiritus testimonium reddit spiritui nostro,
quod sumus filii Dei.*

Léctio Epístolæ beáti Pauli apóstoli
ad Romános

8, 14-17

Fratres:

Quicúmque enim Spíritu Dei agúntur, hi fílii Dei sunt.
Non enim accepístis spíritum servitútis íterum in timórem,
sed accepístis Spíritum adoptiόνis filiórum, in quo clamá-
mus: « Abba, Pater! ».

Ipse Spíritus testimónium reddit una cum spíritu nostro
quod sumus fílii Dei. Si autem fílii, et herédes: herédes qui-
dem Dei, coherédes autem Christi; si tamen compátimur, ut
et conglorificémur.

Verbum Dómini.

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM

Mc 1, 17

(*R.* Allelúia). *V.* Veníte post me, dicit Dóminus,
et fáciam vos fieri piscatóres hóminum.
(*R.* Allelúia).

EVANGELIUM

In verbo tuo laxabo retia.

✠ Lécitio sancti Evangéllii secúndum Lucam

5, 1-11

In illo témpore:

Cum turba urgéret Iesum, et audíret verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genésareth, et vidit duas naves stantes secus stagnum; piscatóres autem descénderant de illis et lavábant rétia.

Ascéndens autem in unam navem, quæ erat Simónis, rogávit eum a terra redúcere pusíllum, et sedens docébat de navícula turbas.

Ut cessávit autem loqui, dixit ad Simónem: « Duc in altum et laxáte rétia vestra in captúram ».

Et respóndens Simon dixit: « Præcéptor, per totam noctem laborántes nihil cépimus; in verbo autem tuo laxábo rétia ».

Et, cum hoc fecíssent, conclusérunt píscium multitudinem copiósam; rumpebántur autem rétia eórum. Et annuérunt sóciis, qui erant in ália navi, ut venírent et adiuvárent eos. Et venérunt, et implevérunt ambas navículas, ita ut mergeréntur.

Quod cum vidéret Simon Petrus, prócidit ad génua Iesu dicens: « Exi a me, quia homo peccátor sum, Dómine ». Stupor enim circumdéderat eum et omnes, qui cum illo erant, in captúra píscium, quos céperant; simíliter autem et Iacóbum et Ioánnem, filios Zebedæi, qui erant sócii Simónis.

Et ait ad Simónem Iesus: « Noli timére, ex hoc iam hómi-
nes eris cápiens ».

Et, subdúctis ad terram návibus, relíctis ómnibus, secúti
sunt illum.

Verbum Dómini.